

De Bohemia. xxx. Capitulum.

Boemia pars est messie<sup>1</sup> ad plagam orientalem in quarta Germania posita in Europa que a montibus maximis et siluis densissimis et altis vndique circumscripta a Germania et pannonia et nacionibus alijs per montes siluas et flumina est diuisa. Est autem regio moncium altitudine in plurimis sui partibus ualde firma camporum et pratorum planicie conspicua facie celi saluberrima gleba fortissima. in vineis habundans et annona in auro argento stagno alijs metallis ditissima. fontibus et fluuijs irrigua. Nam terram irrigat: albia fluuius nobilissimus qui in montanis oritur Boemorum. similiter et multa quasi<sup>2</sup> preterfluit Bragam regiam ciuitatem. In eius montibus habundant pini et abietes, habundant et herbe innumerabiles non solummodo. pascuales. verum eciam aromaticæ et medicinales ibi diuersorum generum habundant. fero innumerabiles. scilicet vrsi. apri. Cerui capreole. Trugelaphi Bubali seu Bisontes. et inter has feras est quedam habens magnitudinem bouis. Hec bestia ferox est et seua et habet magna cornua et ampla. cum quibus se non defendit. sed habens sub mento amplum folliculum in ipso aquas recolligit et cursando aquam miro modo in illo folliculo calefacit. quam super venatores seu canes sibi nimis appropinquantes proicit et quicquid tetigerit depilat horribiliter et exurit. et hoc animal lingua Boemica loth nuncupatur. Hec terra circuitur ex parte orientis mazouia et pannonia. Ex parte Euri. aquilonaris Polonia. ex parte uero meridionali Austria. Ex parte occidentis Bauwaria Germanica et Missenensi marchia circumdatur et ambitur.